



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Caroli Carafa Episcopi Aversani Commentaria De  
Germania Sacra Restavrata, sub Summis PP. Gregorio XV,  
& S. D. N. Urbano VIII. Regnante Aug. & Piiss.mo Imp.  
Ferdinando Secvndo**

**Carafa, Carlo**

**Coloniae Agrippinae, 1639**

Sacratissimae Dei Matri Virgini Carolvs Episcopvs Aversanvs in  
humillimam gratiarum actionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13087**

SACRATISSIMÆ  
DEI MATRI  
VIRGINI

CAROLVS EPISCOPVS AVERSANVS

in humillimam gratiarum actionem.



Ar erat, ut hoc quaecunque opus tuis ederetur in lucem auspiciis, quæ parens veræ lucis es, ut Te altrice viveret, quæ nobis vitam peperisti. Te patronam quæreret, ac vindicaret suã, quam ego ducem in periculis, in molestiis, in omni vitæ cursu sensi; cujus clientela beneficio, difficillimis temporibus inter tot itinerum difficultates, bello effervescente Germania, serpente ubique contagio, & conjuratas hæreticorum manus evasi, & pestis pericula declinavi. Quod vero tutius patrocinium, quam tuum, Virgo Sanctissima? quam Davidicæ turri simillimam sacrum concinit epithalamium: è qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium; quam terribilem etiam asseverat, ut castrorum aciem ordinatã, ne turri propugnatores milites, neve militibus contra hostiles impetus munita turris deesset. Isto etiam vel maxime nomine tibi debetur hoc opus, cum nihil sit eorum, quæ hic præclare, & cum virtute acta narrantur, quod per te gestum, perfectumque non sit. Tu propugnaculum Fidei, tu severa ultrix perfidiæ, tuo prope numine disciplina castrensis innititur, cui omnia fauste, ac feliciter semper evenerint. Etenim quod hostes Religionis profligati sint, quod hastam abjecerint, ac spiritus detumuerint, non tam armis

est factum, & auxiliaribus copiis, quam præfidiis  
tuis. Te te & ille ipse summa virtute vel corporis,  
vel animi præstans Imperator Ferdinandus semper  
Augustus Ducem belli præcipuam merito appellare  
solet: agnoscit videlicet fontem suæ gloriæ: anim-  
adverit, unde tantum virtutis, ac fælicitatis emanet.  
Hinc illud maximum argumentum pietatis in te  
suæ, quod te effingi iusserit in signis, & à vexillifero  
alte præferri, teque suis copiis præesse dixerit, à te  
rem omnem bellicam gubernari, ac regi, à te ma-  
gis arcano instinctu, quam Martiali tuba milites ac-  
cendi, à te sibi porrigi opima spolia impiorum. Vidi  
egomet, vidi, & illam hausi lætitiâ vel maximam,  
cum Teutones Palatiniani, Bohemi, Pannonæ, alii-  
que quamplures non modo Imperatoriis, sed divi-  
nis legibus obsequerentur; revivisceret pietas, Re-  
ligio refloresceret: exhaustum est, me præsentem, &  
gratulante illud Lutheri cœnum; squallet Calvinus,  
vere jam recalvaster; quasi resectis tot illius Hydræ  
capitibus extorsisti Virgo funestam facem ex Oeco-  
lampadii manibus, qui Christianæ Reipub. ipso no-  
mine minitabatur incendium; tua vis Hussitas fre-  
git; te reluctante, & obnitente Carolo stadus metam  
sui consilii attingere minime potuit, qui in studio  
impietatis excurrere audacior. Nimirum hæc sibi  
proposuit Ferdinandus ille tuus, cum in hostes tuo  
vultu notata signa conferret. Idcirco enim bellator  
clasticum canebat ad pugnam, ut victor tibi pæana  
caneret ad laudem; idcirco arces hostium, ac mu-  
ros evertibat, ut tibi excitaret aras, atque delubra;  
idcirco denique fulgurabat armis, ut tu coruscares  
vel gloria, vel prodigiis. Sentio me tot rebus, tan-  
quam præclaris commemorandis, imparem esse: sed  
hac una spe sustentor; etenim confido fore, ut quæ  
militum acueris gladios ad pugnandum, eadem mi-  
histrylum acuas ad scribendum.

S A N-